

rerint, hujus tantum rei gratia, absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate nostra apostolica per presentes litteras præfatam ecclesiam cathedralem Aurelianensem titulo basilicæ decoramus et insignimus cum omnibus et singulis honoribus, præeminentiæ et prærogativis eidem titulo adnexis, ad instar basilicarum minorum almæ Urbis nostræ. Hæc concedimus decernentes præsentibus litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quocumque spectabit plenissime suffragari, sique in præmissis per quoscumque ordinarios iudices et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. PP. Benedicti XIV prædecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictæ ecclesiæ cathedralis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 26 jan. 1855, pontificatus nostri anno nono. — V. card. MACCHI. »

Privilegia basilicarum sunt hæc : canonici utuntur cappa magna violacea tempore hyemali, æstivo autem cotta super rochetum; insuper quando processionaliter incedunt, defertur ante eos conopæum seu papilio, ut aiunt, cum tintinnabulo. Gardellini, in *Lucerina*, 27 aug. 1836.

## ADNOTATIO LVI.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLVIII, § I, n. 21; pag. 202.*

## DE MODO PROVIDENDI SUSTENTATIONI RECTORIS PAROCHIE ERIGENDÆ.

« Decretalem *Ad audientiam*, cap. 3 huj. tit. innovavit conc. Trid. cap. iv, sess. XXI, *De reform.* statuens præterea ut, si necesse fuerit, possit episcopus compellere populum ad ministranda quæ sufficient ad vitam parochi, de novo deputandi, sustentandam.

» Cum autem contingere possit quod parochianorum paupertas tanta sit ut hac via provideri nequeat novæ parochiæ decori et rectoris sustentationi, sequentia suppeditat Fagnanus ad hanc eandem decretalem, et cit. cap. Trid. n. 6, ibi : « Sin autem paupertas parochianos excuset, cogat episcopus abbatem vel præpositum, cui parochia illa in temporalibus subest, ad suppeditanda vitæ necessaria sacerdoti instituendo... Quod si et illos excuset inopia, provideat episcopus ex mensa sua... ad hoc enim tenetur episcopus si commode potest... Itaque secundum ordinem superius propositum procedendum erit ab episcopo in assi-

gnatione reddituum pro sustentatione rectoris » novæ parochiæ, prout concludunt hic Hostiensis » n. 3 et alii; et alias declaravit S. C. cardinalium » conc. Trid. interpretum. Censuit enim in terminis concilii assignationem faciendam ex fructibus » ad ecclesiam matricem pertinentibus, et, si ii » non sufficiant, tunc demum populum compellendum esse, quod si ne ipse ob paupertatem com- » pelli possit, episcopum de suo dare debere. »

« Quod autem episcopus de sua mensa in casu tenuitatis reddituum ecclesiæ matricis, et parochianorum paupertatis, novæ parochiæ erectioni providere debeat, citra fractionem juramenti a se præstiti de rebus Ecclesiæ non alienandis, jam declaraverat Cælestinus III in ejus decretali relata hoc eod. tit. cap. 6.

« Eadem S. Congregatio, juxta diversas facti et locorum circumstantias, aliquando divisionem admisit, prius tamen constituto de quantitate congruæ, assignandæ novo paroco, ut in *Aquensi dismembrat.* 13 jul. 1720 et 2 aug. 1721, in *Imolen. dismembr.* 8 jun. 1720, in *Asculana dismembr.* 15 dec. 1759, et novissime 14 dec. 1763 : aliquando denegavit in casu quo parochianorum necessitati satis consultum judicavit cum capellano coadjutore seu vicario parochi, ut in specie transcriptæ decretalis, prout declaravit in *Cassanen. dismembr.* 17 dec. 1740, in *Aquilana dismembr.* 8 febr. 1744, in *Comen. dismembr.* 7 aug. 1745, et in terminis oblatis per parochianos stipendii, absque ulla divisione reddituum veteris parochiæ in *Lumen Sarzianen. dismembr.* 8 mart. et 27 sept. 1732, et *Consistant.* 27 jun. 1761. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 630.)

## ADNOTATIO LVII

*Lib. III. Decretal. Tit. XLVIII, § II, n. 60; pag. 215.*

## DE NECESSITATE BENEPLACITI APOSTOLICI PRO ERIGENDO QUOCUMQUE MONASTERIO.

Adeatur D. Bouix, *Tract. de jure regular.* part. II, sect. II, cap. i et ii, animadvertens Benedictum XIV, *De Syn. dicec.* lib. IX, cap. i, n. 9, tenere sententiam juxta quam beneplacitum apostolicum foret necessarium, in casu erigendi novi monasterii sive virorum sive mulierum, non solum in Italia et adjacentibus insulis, sed ubique terrarum, unde concludit prælaudatus auctor, cap. i, § 4, n. 2 : « Quod tamen revera communis illa sententia evaserit et a Romanis tribunalibus et congregationibus pro regula habeatur, tanquam certum affirmat Benedictus XIV, citatis supra verbis. Atque id minus considerate ab ipso assertum dicere vetat tanti scriptoris auctoritas. Semel autem præsupposito, et Benedicti XIV tempore invaluisse et etiamnum perseverare assertam ad ipso SS. Congregationum praxim (cum hæc privatorum scriptorum opi-

nionibus prævalere debeat), sequitur hodie ad novi conventus erectionem necessarium esse beneplacitum apostolicum, etiam extra Italiam et adjacentes insulas; proinde nullam fore ac irritam fundationem ex solius ordinarii licentia peractam. »

Notandum I. Quod necessitas beneplaciti apostolici non excludat licentiam episcopi, ut videre est apud Benedict. XIV, loc. citato.

Notandum II, cum prælaudato D. Bouix, loco cit. § VI, non videri necessarium prædictum beneplacitum quoad congregationes quæ solemnia vota ex instituto non habent.

Legent eruditi in *Collect. in usum secretar. S. C. episcop. et regular. in Americana votorum*, pag. 778, vota duorum consultorum, quorum alter « certum esse edicebat requiri pro canonica erectione monasteriorum et conventuum cujuscumque ordinis et instituti in Italia et insulis adjacentibus beneplacitum apostolicum, vi const. *Instaurandæ*. Fatebatur communiorem fortasse esse sententiam illorum qui necessitatem beneplaciti S. Sedis etiam extra Italiam extendunt; verum arbitrabatur eam valido fundamento haud fuisse relate ad ordines non mendicantes, licet quoad mendicantes retinenda omnino sit. » (Ibid. pag. 784.) Decretum in causa prolatum, die 30 sept. 1864, et sub Adnotatione I hujusce volum. jam insertum, non præcise dirimit questionem.

## ADNOTATIO LVIII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLIX, De immunitate ecclesiarum, cæmeterii, et rerum ad eas pertinentium; § II, n. 55; pag. 227.*

## QUÆ LOCA GAUDEANT PRIVILEGIO ASYLI.

« Hoc privilegium extenditur ad quæcumque oratoria, episcopi auctoritate ubicumque constructa, non vero erecta in domibus privatorum, licet ex licentia Papæ ibi missæ celebrentur...; ad domum parochialem, de pertinentia tamen ejusdem parochiæ, non conductam, inhabitatam ab ipso paroco, non a laicis, etiam distantem ab ecclesia, dummodo non distet spatio circiter tertiæ partis milliarii, in *Cæsenaten.* 17 nov. 1653 et aliis; ad domus canonicales, quæ tamen non est permittendum ab episcopo ut locentur laicis, in *Florentina* 8 maii 1694, in *Lauret.* 16 april. 1652; ad domum confraternitatis contiguam ecclesiæ confratrum in *Civit. Castelli* 23 jul. 1652, *Forolivien.* 19 dec. 1690; ad capellam, perpetuam tamen et immobilem, existentem in palatio gubernatoris, in *Turdertina* 7 maii 1658; ad turres campanarias inservientes ecclesiæ, distantes tamen intra triginta passus, 7 sept. 1632; ad locum in quo construenda est ecclesia, primo lapide solemniter injecto, in *Jan.* 3 oct. 1688.

» Cum ex indulgentia juris communis palatium episcopi gaudeat jure asyli, licet ultra quadraginta

passus distet ab ecclesia cathedrali, aut pro ipsius habitatione conductum sit; sicuti et domus in qua, tempore visitationis, moram trahit, ut declaravit ead. Congregatio immunitatis in *Aquitanen.* 19 nov. 1666 et in *Comen.* 25 febr. 1698, Remigius Maschat, *Instit. can.* hoc eod. tit. n. 14, cum doctoribus ibi relatis sentit probabiliter eodem jure gaudere palatium episcopi titularis; Fagnanus vero ad decretalem *Ecclesiæ*, hoc tit. a n. 32 ad 38, extendit idem privilegium etiam ad palatia prælatorum inferiorum quasi episcopalem jurisdictionem habentium, si ita se habet consuetudo, sicut et ex communi consuetudine ad palatia cardinalium, extra Urbem tamen; siquidem intra eam ab hoc privilegio expresse excluduntur in const. Julii III, *Cum civitates*, 22 sept. 1552 et aliis. Excipiendum tamen sentit laudatus Remigius, loc. cit. n. 15, palatium DD. cardinalium, si adhæreat titulis suarum ecclesiarum. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 637.)

Cf. Adnotat. XXXIV, XXXV et XXXVI, vol. secundi, pag. 594 et seqq.

## ADNOTATIO LIX.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLIX, § III, n. 76; pag. 232.*

## AN GAUDEANT RELIGIOSI JURE ASYLI RESPECTU SUPERIORUM?

« Nota VIII. inquit Giraldus, quod neque ex const. Gregorii XIV, *Cum alias*, neque Benedicti XIII, *Ex quo divina*, neque Clementis XII, *In supremo justitiæ*, nec tandem Benedicti XIV, *Officii nostri*, idib. mart. 1750, religiosi confugientes, sive ad ecclesiam sui ordinis, sive ad quoscumque ecclesias et monasteria aliorum ordinum, priventur jure asyli pro delictis non exceptis in dictis constitutionibus; nullo fundamento dici potest eo non posse gaudere, cum non debeant esse deterioris conditionis quam cæteri rei etiam gravioris criminis, juxta decreta S. Congr. Immunit. in *Fulginat.* 9 mart. 1639, et in *Neapolitana* 11 oct. 1692. Et quamvis in *Æsina*, 19 april. 1701, declaratum fuerit ab eadem Congr. provinciale ordinis Minorum observ. reform. non incurrisse excommunicationem pro extractione sui religiosi ab ecclesia *Æsina* ejusd. ordinis, ac quamvis insuper ad preces procuratoris generalis dicti ordinis indulta fuerit sub die 19 sept. 1634 a Clemente XII provincialibus et guardianis ordinis facultas ducere faciendi delinquentes religiosos et contumaces ab ecclesiis eorum respective conventuum ad claustrales carceres, hæc tamen revocata fuit per organum secretariæ memorialium, ut vocant, 28 julii 1736, ad instantiam ejusdem S. Congr. Immunit. cum expressa declaratione ut, in similibus refugii et extractionis casibus, procedatur juxta terminos juris; prout legitur in originali mandato, in scriptis

transmisso a cardinale Corsini, tunc memorialium secretario. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 635.)

Insuper in *Collect. in usum secretariæ S. C. episcop. et regular.* pag. 365, deprehendimus sequens decretum :

« Regulares unius religionis confugientes ad ecclesias et monasteria alterius religionis restitui debent superioribus propriæ religionis a prelatibus alterius religionis, ad quarum ecclesias et monasteria confugiunt, præstito tamen ab iisdem superioribus confugientium juramento et facta obligatione de servanda immunitate ecclesiastica, et de restituendo confugientes præfatos ecclesiis vel monasteriis ad quæ confugerunt, casu quo procedendum sit ad pœnas corporales carceris perpetui, mortis et triremium, propter delicta ab ipsis confugientibus commissa; secus, si ipsi superiores procedere deberent ad pœnas ordinarias, et ad correctionem regularium per constitutiones ordinis præscriptas, cujus rei declaratio ad definitorium provinciale, vel ubi illud non fuerit, ad consilium conventus spectabit. Quod si, constituto regularibus confugientes dumtaxat ordinarias et per constitutiones ordinis ad correctionem præscriptas promereri, prelati alterius religionis renuant eos propriis superioribus restituere, vel ipsi regulares ad proprias religiosas domos redire recusent, sacra eadem congregatio utrosque, ad instar apostatarum vel apostatas recipientium, in excommunicationem Summo Pontifici reservatam incursos declaravit. Romæ, 11 aug. 1758. »

## ADNOTATIO LX.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLIX, § V, n. 155; pag. 256.*

QUI EXCLUDANTUR AB IMMUNITATIS ECCLESIASTICÆ BENEFICIO?

In appendice ad sect. 635, *Exposit. jur. pontif.* part. I, Giraldus colligit in unum et recenset eos qui tam ex antiquo quam ex hodierno jure ab immunitatis ecclesiasticæ beneficio excluduntur.

Meminit constitutionum Clementis XII, *In supremo*, 1 jan. 1734; Benedicti XIV, *Officii nostri*, idib. martii 1750; Gregorii XIV, *Cum alias*, 24 maii 1591; Benedicti XIII, *Ex quo divina*, 6 id. jun. 1725; et animadvertit dispositiones additas a Clemente XII sanctionibus juris communis et constitutionum Gregorii XIV, et Benedicti XIII, ultra fines temporalis domini apostolicæ Sedis non extendi. Quæ tamen deinde per particularia brevia extensa sunt ad diversa alia dominia a Benedicto XIV, et signanter ad totum dominium regis Sardinie, ut idem Pontifex refert in cit. constitutione *Officii nostri*.

## ADNOTATIO LXI.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLIX, § XI, n. 295; pag. 299.*

CONTRA VIOLATORES IMMUNITATIS ECCLESIASTICÆ.

Hic referre decet propositiones a Sanctissimo D. N. Pio PP. IX damnatas per litteras encyclicas incipientes *Quanta cura*, 8 decembris 1864, scilicet :

« XXX. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit. — Jam damnata per litteras apostolicas *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

« XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus, sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante apostolica Sede. — Jam damnata in allocutione *Acerbissimum*, 27 sept. 1852, et in allocutione *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.

« XXXII. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta. — Jam damnata in epistola ad episcopum Montisregal. *Singularis nobisque*, 20 sept. 1864. »

## ADNOTATIO LXII.

*Lib. III. Decretal. Tit. L, Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant, n. 4; pag. 300.*

AN POSSINT REGULARES DEPUTARI TANQUAM THEOLOGI AD SERVITIUM PRINCIPIS, EPISCOPI AUT CARDINALIS?

« Ex constit. Urbani VIII, *Sacra Congregatio*, 21 sept. 1624, sublata videtur, inquit Fagnanus, cap. *Quanto, de Offic. jud. ordin.* n. 7, facultas quam habebant prelati regulares de jure communi deputandi suos religiosos ad servitium principis, episcopi, vel cardinalis. Qui voluerint penes se habere aliquem regularem pro theologo obtinere solent licentiam a Papa, ut sæpius vidi observari. »

## ADNOTATIO LXIII.

*Lib. III. Decretal. Tit. L, n. 7; pag. 301.*

AN CLERICI QUEANT MUNERE NOTARIORUM FUNGI IN REBUS ECCLESIASTICIS?

Videtur respondendum affirmative cum auctore nostro, quamvis Fagnanus dicat cap. 8, *Sicut te*, hoc titulo, a n. 22 ad 29, officium tabellionatus interdictum esse non solum clericis beneficiatis in

sacris constitutis, sed etiam quibuscumque clericis, cum agatur « de officio publico sæculari et villi, negotiationem sapiente. » In causis ecclesiasticis nihil vile deprehendi potest, quando verbi gratia depositiones testium conscribendæ sunt, instrumenta conficienda relate ad beneficia assequenda et cætera hujusmodi. Si stipendium notariis attributum negotiationem sapiat, quid de cancellariis episcoporum et ipsa taxa Innocentiana sentiendum? Hinc juxta Fagnanum, etiam pro cancellariis episcoporum adhibendi essent laici. Merito consuetudo contraria viget. Cf. auctorem nostrum, III vol. pag. 123, et Adnotat. VIII ejusdem volum. ad calcem pag. 609.

## ADNOTATIO LXIV.

*Lib. III. Decretal. Tit. L, n. 11; pag. 302.*

DE NEGOTIIS RESPECTU CLERICORUM VETITIS.

Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. II, sect. 73, analysim præbet constitutionis Benedicti XIV, *Apostolica servitutis*, 25 febr. 1741, pœnas a SS. Pontificibus et conciliis impositas extendentis ad clericos illicite sub alieno nomine negotia exercentes, perinde ac si per se et proprio eorum nomine eadem exercerent; decernentis insuper : I. Ut omnia et singula bona sic ab eis alieno nomine acquisita sub spoli pœna subiciantur, juxta const. Pii IV, *Decens*, 5 nov. 1560. II. Ut negotia per laicos prius inchoata, et ad ipsos clericos delata, continuari nequeant sub iisdem pœnis, nisi urgeat necessitas et de licentia Congregationis concilii, aut etiam ordinarii extra Italiam, ad tempus dumtaxat concedenda; ita tamen ut pertractentur per interpositam laici personam. III. Ut exempti a spolio ad effectum testandi aut transmittendi ad hæredes, ab eo non eximantur quoad bona sic acquisita, non obstante indulto Pii IV, const. *Romanus Pontifex*, 5 febr. 1560, et Pauli V, *In eminenti*, 8 april. 1606, favore curialium, incolarum et originariorum Urbis, etiam presbyterorum in ipsa Urbe, et ejus districtu intra decem millia degentium, quibus constitutionibus in hac parte derogatur.

Præter hanc Benedicti constitutionem attendenda sunt sancita et declarata in epistola Clementis XIII ad patriarchas etc. *Cum primum*, 17 sept. 1759. In ea

I. Innovantur omnes et singulæ canonicæ leges, cum omnibus pœnis per eas respective indictis contra clericos negotiatores.

II. Declaratur prædictis omnibus legibus ac pœnis subjeci omnes et singulæ personas ecclesiasticas, non solum e sæculari clero, sed etiam e regulari, cujuscumque sint ordinis, congregationis, societatis et instituti.

III. Hortantur ordinarii ut non omittant omni severitate, et etiam ex officio, procedere ad formam eorumdem canonum in delinquentes.

IV. Prohibentur ne, cum coram se ad trutinam revocari contingat clericorum sæcularium aut re-

gularium negotiationem, sinant valere privatas opiniones; sed, si quæstio est num aliquis contractus sit licitus, vel potius interdictus censi debeat, recurrant ad S. Sedem pro declaratione.

V. Definatur cambium activum esse actum veræ et propriæ negotiationis.

VI. Statuitur ne cuiquam ecclesiasticorum suffragetur, quod se sæcularibus negotiis immiscuerit ad subveniendum indigentiae aut parentum, aut sororum, aliarumve personarum, quibus ex naturæ debito opem ferre teneantur, nisi doceat se antea præfatas necessitates apostolicæ Sedi intra Italiam et insulas adjacentes, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem ordinario loci exposuisse, earumque intuitu opportunam dispensationem et facultatem prædictas personas industria sua juvandi, vel ab eadem apostolica Sede vel respective ab ordinario impetrasse.

VII. Prohibetur dictarum dispensationum concessio tam in Urbe quam extra, nisi cum ea conditione quatenus adductæ causæ veritate nitantur, et nisi simul constet prædictas indigentias nulla alia ratione levari posse; eoque etiam casu nunquam ecclesiasticis permittatur ejusmodi negotiationis genus assumere cujus administratio clericalem statum et caracterem dedecet. Quinimo in ipsis indultorum rescriptis et litteris indicentur ac præscribantur honestiores modi quibus clericus, justa moderatione servata, et intra veræ indigentiae mensuram, pauperibus consanguineis opem præstare valeat... Hoc insuper addentes ne ea quæ, vel ab ipsis ordinariis vel ab apostolica Sede, peculiaribus quibusdam clericis hoc in genere aliquando permessa, et justis concurrentibus causis, frequentius forsitan indulta dignoscuntur, exempli gratia ut ecclesiarum fundos certa annua pensione conventa colendos exercendosque conducerent, eadem a reliquis ecclesiasticis, tanquam generaliter omnibus concessa, absque justa causa et sine speciali indulto usurpentur.

VIII. Declaratur dictas facultates, ut supra concessas, esse irritas et revocatas ipso jure quoties allegatæ conjunctorum indigentiarum cessaverint, vel alia via eisdem provideri possit.

IX. Moneantur ordinarii ut debitæ pœnis etiam censurarum puniant clericos quos sibi constiterit quidquam admisisse quod clericalem statum dedecet, etiam in suorum bonorum administratione, rerumque ad proprios usus exactione.

Cf. Adnotationes XXXVI et XXXVII voluminis tertii pag. 628.

## ADNOTATIO LXV.

*Lib. III. Decretal. Tit. L, n. 16; pag. 303.*

QUIBUS CLERICIS VETITUM STUDERE LEGI CIVILI ET MEDICINÆ.

Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 646, sic se habet : « Decretalis *Super specula*, cap. 10 huj. tit. in qua prohibetur decanis, archidiaconis,

præpositis, plebanis, cantoribus, aliisque personatum obtinentibus, necnon presbyteris, sub certis pœnis scudere legi civili et medicinæ, moderata est a Bonifacio VIII, cap. *Statutum 1*, hoc eod. tit. in 6. declarante hujusmodi prohibitionem non extendi ad clericos simplices, curam animarum habentes, nisi eorum ecclesiæ habeant sub se capellas, id est, ecclesias in quibus instituuntur clerici perpetui, cum in hoc casu similes parochi reputentur tanquam dignitates, ut animadvertit hic Glossa 2, ex quorundam sententia. »

## ADNOTATIO LXVI.

*Lib. IV. Decretal. Tit. I, De sponsalibus et matrimoniis, § VII, n. 226; pag. 358.*

DE SPONSA INGREDIENTE RELIGIONEM, PRÆSERTIM SI PROMISSIONEM JURATAM EMISERIT.

« Si de simplicibus sponsalibus agatur, inquit Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. XIII, cap. XII, n. 8, hoc est de promissione nubendi certo viro facta ac per mutuum repromissionem ab ipso acceptata, quamvis etiam juramenti religione fuerit utrinque firmata, dummodo ultra processum non fuerit, neque sponsi carnali copula sese cognoverint, prohiberi non potest mulier quin monasterium ingrediatur, exactoque probationis anno, solemniter religionis vota profiteatur. Ita rescribit Alexander III in decretali *Commissum, De sponsalibus*, quo tamen loco subdit satius fore mulieri si, antequam monasterium ingrediatur, ut juratam fidem præstet, matrimonium contrahat.

« Fraternitati tuæ taliter respondemus quod tutius est ei, religione juramenti servata, prius contrahere, et postea, si elegerit, ad religionem migrare. » Textum hunc nonnulli ita interpretantur ut consilium potius quam præceptum præ se ferat, uti est penes Sanchez. *De matrim.*, lib. I, disput. XLIII, n. 7. Alii tamen recte perpendunt pontificiam constitutionem locum sibi vindicare in ea facti specie qua mulier de religionis ingressu deliberans, nondum reipsa monasterium ingressa fuerit. In his enim circumstantiis potest utique sponsa, absque eo quod admirationem ingerat, jurisjurandi fidem liberare, matrimonium inire, exindeque ad claustra properare: quod profecto non eveniret, si mulier jam monasterium ingressa, subinde aut in ipso monasterio manens, matrimonium iniret, aut ex eo egressa nuptias celebraret, et postea claustra repeteret. Ita disserit Gonzalez in *Commentariis ad præcitatam* textum, latiorique calamo rem persequitur Pirhing ad hunc tit. lib. IV, tit. I, n. 52 et 53...

« Verum, quamvis dispositio memoratæ decretalis *Commissum* aptari nequeat propositæ juratæ sponsioni contrahendi videlicet simulque consummandi matrimonium; huic tamen omnino con-

gruere videtur effatum illud: « Propositum aut promissum non infringit qui in melius illud commutat, » quod legitur in decretali *Pervenit, De jurejurando*. Neque in jurata consummandi promissione videtur contineri casus quo ipsi sacri canones a consummatione abstinendum probant atque collaudant, juxta alteram decretalem in cap. *Ad nostram 20, De jurejurando...* »

## ADNOTATIO LXVII.

*Lib. IV. Decretal. Tit. I, § VIII, n. 324, pag. 379.*

DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS EX SPONSALIBUS ORIENTE.

Non sine admiratione deprehendimus quod auctor noster hoc titulo nec ullam verbum fecerit de impedimento honestatis publicæ ex sponsalibus validis oriente. Questionem illam, titulo IV ejusdem libri IV decretalium tractatam, benevolus lector inveniet.

## ADNOTATIO LXVIII.

*Lib. IV. Decretal. Tit. I, § IX, n. 341; pag. 382.*

MATRIMONIUM METU CONTRACTUM NON EVADIT VALIDUM PER COHABITATIONEM ET COPULAM.

Hic auctor noster necessario corrigendus est; nam, sicut docet Giralduus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 638, « in decretali *Ad id*, cap. 21 huj. tit. statuitur matrimonium per vim contractum cohabitatione convallescere et sic per plusquam præsumptam carnalem copulam subsecutam. Verum huic sanctioni derogatum est a concilio Tridentino, illud nullum declarante, si ulterius non contractum fuerit coram paroco et testibus ut cap. I, sess. XXIV, *De reform. matrim.* Cui irritanti concilii legi accessit in hac subjecta materia clarissima declaratio Congr. Conc. in *Panormitana nullit. matrim.*, sub die 30 sept. 1719, relata in Thesaurio Resolut. ejusd. Congr. apud Liverzani, t. I, pag. 241, per hæc verba: « Sacra Congr. Cardinalium Conc. Trid. interpretum sæpius respondit hodie, » post Tridentinum concilium, matrimonium metu contractum, et purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem concilii forma. » Et concordat alia resolutio in *Constantinopolitana*, 16 dec. 1634, lib. XV *Decretor.* fol. 140 a tergo. »

## ADNOTATIO LXIX.

*Lib. IV. Decretal. Tit. I, § X, n. 352; pag. 384.*

DE CONSENSU PARENTUM IN MATRIMONIO CONTRAHENDO.

« Cum in decretali *Inter opera*, cap. 20 huj. tit. declaratur meritorium esse et in peccatorum remissionem cedere matrimonium contrahere cum mulieribus impudice viventibus, etiam meretriciam artem exercentibus, cumque ex minus germano intellectu pontificiæ declarationis filifamilias argumentum desumere possent id sibi licitum, etsi aut parentibus, aut familiæ maximum inde incurreretur dedecus; ideo placuit eam transcribere una cum recta ejusdem interpretatione ne dictis filiis libera præbeatur ansa ad similia matrimonia, invititis parentibus contrahenda, cum manifesta læsione tam juris naturalis quam divini contra quartum decalogi præceptum quo filii obstringuntur, et quidem sub pœna peccati lethalis in re potissimum adeo gravi, obedientiam et reverentiam præstare. Quæ conjugia tanquam illicita semper detestata est etiam Tridentina synodus cap. 1, sess. XXIV, *De reform. matrim.* et Benedictus XIV const. *Satis nobis*, 17 nov. 1741, § IV, ea reputat tanquam fontes ex quibus quamplurima gravia mala et incommoda oriuntur. Quapropter § VII impense monet episcopos ut in illis impediendis toti sint ne facile filiis inobediendiæ occasionem præbeant.

« Recta igitur hujus pontificiæ declarationis interpretatio ea certe est quam, ex Natali Alexandro desumptam, solide ratiocinando, refert clarissimus vir Christophorus Cosci, *De sponsalibus filiorum familias*, vol. II, n. 150, et seqq. per hæc verba: « Huic etenim objectioni opportune respondet Natalis Alex. *Theol. moral.*, t. VI, lib. II, de matrim., cap. II, art. 11, de consens. clandest. reg. 24, vers. sexto, ubi viro qui sui juris est meretricem lupanari eductam ducere licet uxorem » ut eam a peccato revocet, idque in remissionem peccatorum proficere respondet Clemens III, imo Innocentius III, ut supra innuimus. Laudatus igitur textus procedit quoad eos qui sunt sui juris, nec ullo jure obligantur aliorum petere consilium, ac exequi præceptum, quemadmodum filifamilias parentum consilium petere eisque obedire tenentur, idque clarius explicat idem Natal. Alex., loc. cit. cap. II, art. I, reg. 15, pag. 466, ibi: *Filius nanque prorsus tenetur obedire patri prohibenti ne ducat uxorem etc. male moratam aut infamem, vel disparis longe conditionis. Tenetur enim quisque lege naturæ periculum suam vitare, honori suo consulere, familiæque suæ dignitatem, vel honestatem sartam tectam tueri. Tenetur parentibus juxta præcipientibus obedire. Nec unquam est temere præsumendum quod aliquando Summus Pontifex eos ad indignas nuptias allicere voluisset quos etiam dignas contra here, inscis vel invititis parentibus ecclesia sem-*

per defestata est atque prohibuit, et quidem cohærenter dispositioni juris naturalis ac divini » ex quarto decalogi præcepto manifestissime resultanti, et quemadmodum noluit allicere ad hujusmodi matrimonia eos qui emisissent votum simplex castitatis ne illos induceret ad peccandum, ita nec filios familias ne peccarent contra quartum decalogi præceptum allicere voluisset dicendum.

» Nec insuper præsumendum venit quod Papa reliquos, etiam nobiles honestosque viros, quamvis essent sui juris, in dedecus familiæ et propinquorum ad similes indignas nuptias invitare voluerit, cum indubitati juris sit quod, quemadmodum in rescriptis et gratiis ita in elargiendis indulgentiis nunquam SS. Pontifices intellexerunt tertio præjudicium inferre ut ex vulgatis text. in cap. *Ad aures 8, De rescriptis*; cap. *Super eo 15, De off. et pot. jud. deleg.* tradunt communiter doctores quos cumulat Barbosa, in diet. cap. *Super eo 15, n. 3*; Koning, *Princ. jur. can.* lib. I, tit. III, § IX, n. 40, vers. regula tertia, et potissimum ubi agitur de iis quæ juri naturali adversantur, ut ex Fulgos. cons. LXI, n. 4, prout essent nuptiæ sive a filiis, sive a quibuslibet aliis contractæ cum dedecore parentum, fratrum, sororum, atque totius familiæ, veluti communi nedum theologorum, sed et juris interpretum, sanctorum Patrum, ac plurium Summorum Pontificum auctoritate, ac solidissimis argumentis huc usque comprobavimus. » (Giralduus, *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 637.)

## ADNOTATIO LXX.

*Lib. IV. Decretal. Tit. I, § X, n. 351; pag. 390.*

ERRORES CIRCA MATRIMONIUM CHRISTIANUM A SANCTA SEDE NUPERRIME PROFLIGATI.

In litteris apostolicis *Quanta cura*, 8 dec. 1864, sic se habet Syllabi § VIII:

« Errores de matrimonio christiano.

» LXV. Nulla ratione ferri potest Christum erexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti. — Propositio jam damnata litt. apostol. *Ad apostolicam*, 22 aug. 1851.

» LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est. — Ibid.

» LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. — Ibid. et alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

» LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit a qua impe-